



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

55. Caritas Xau. erga Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

tanta, vt præstet ea tacendo reuereri, quam stylo deterere; beatum sibi vnumquemque visum, cui vel breui spatio obtigisset in eius cubiculo hæ-
 rere; vno eius aspectu solitos qui eum adiffent mutari penitus, & inarde-
 scere ex eo diuiniore flamma, quàm ex diuturna, & ignita meditatione:
 quem ex Societate amandarat Franciscus Mansilla, & pro testimonio iura-
 tus, dixit, quod ad *Patris Magistri Francisci vitam attinet, talem reuera
 fuisse, vt nemo illam ageret, nisi qui Spiritus Sancti gratia plenus esset, sicut
 ipse erat, Insuper tot sibi de moribus, & vita eius, deque laboribus maximis,
 quos pro Deo pertulit, dicenda suppetere, vt finem eis nunquam imponere
 posset, proinde plura quam vllus queat imaginari ab illo fieri possibilia, pro
 Deo effecisse, passumque fuisse.* Erat præterea vir sanctus, vt post videbi-
 mus, ad subducendas mortalis cuiuslibet oculis, quas de cælo ducebat diui-
 tias, tam solers, & diligens, vt quos eius exciuisset fama, & in oculatam,
 quæ auditu de illo acceperant mirabilium vestigationem misisset, dissi-
 mulata virtute sagacissimè falleret, ac de vno exterioris hominis aspectu,
 ab iis vnus è vulgo haberetur: nobis attamen tam multa ingerit Aposto-
 lica viri virtus, vt si minus à nobis valeant tota sui amplitudine explica-
 ri, liceat saltem, quod solent pictores designandis in vngue corporibus,
 plura de iis significare quam edere

55
 Caritas Xau-
 erga Deum.

Sit ergo nobis eorum initium Caritas erga Deum, sanctitatis anima,
 & radix qua nituntur cæteræ florentque virtutes, quæ cum & animi
 latentis, & exerentis se, in lucem præstantium operum, argumentis se
 prodat, vtrunque Xauerij proceritatem metiamur. Ac prius quod atti-
 net; incendebant illius animum tam ardentes flammæ diuini amoris, vt
 corpus etiam vaporarent: *vultu ait summus Pontifex, adeo inflammatus
 vt angelicam prorsus caritatem representaret.* Pectore, quod erat illius
 incendij fornax, tantopere æstuans, vt cogere illud gelida temperare,
 interdum etiam se illa immergere. Cunque is, etiam per urbem, defixis
 in cælum oculis, animo in Deum incederet; fiebat sapius, vt igni quo
 adurebatur ferendo inæqualis compelleretur illum veste à pectore di-
 ducta ventilare, quod de eo norum, & pictis illius hac specie tabulis
 peruagatum. Imo Goæ in foro, & Malacæ, & ad maris littus, inter con-
 templandum, & concionandum, visus est vestem cum impetu diuisam
 laxare, ad captandam frigidioram autam ardori quo præfocabatur vt cum-
 que leniendo. Narratum alias eius iter Amanguccio Meacum; ærumno-
 sum illud per vepreta, & aspera saxorum, quibus nullo sensu doloris
 cruentabantur illi pedes, diuinis interea meditationibus attento, & quæ
 corpori infra se posito fierent minimè aduertenti. Contigit etiam vt
 Goæ alienato in Deum animo, per urbem incedenti, in platea firens oc-
 curreret elephas, qui clathris erumpens, omnes in metum, & fugam &
 clamores agebat; Sanctus item longè magnis vocibus vrgebatur, caueret,
 & fugeret, sed Deo inhærens incustoditus esse non poterat, propius licet
 incurrens bellua intactum præterit. Hæc porro caritatis extra sensus per
 diuinorum amoena rusticantis, beata alienatio, erat Xauerio tam fre-
 quens,

quens, vt faciendo ad aram, & agendis post sacrum gratiis sui potens non flet, nec trahente aut succutiente ministro ad se prius rediret, quam cum dilectus animæ mitteret ab suo complexu liberum. Eximium illud quod Goæ accidit: consueuerat Sanctus post sumptum sub meridiem prandium, suam quandam in latebram ad latus cubiculi, campanaria in turri se condere, horasque illic duas solitarius cum Deo transigere; sed raro iis horis precandi spatium finiebat; nec erat in eo satis luus. Quare condicebat cum adolescente annorum septemdecim, Andrea nomine, Goani seminarij alumno, sibi que socio, quoties esset ad animarum negotia exeundum, vt se post horam alteram admoneret; die igitur quodam Proregem adituro adest iuuenis hora de meridie secunda; ingressus, reperit in humili sede, decussatis ad pectus manibus, ore inflammato, & ardentibus oculis, contemplatusque tantisper cum magna voluptate, & admiratione, monet elephas horas duas; surdum ad hæc, atque immobilem, contentiori voce, pedum & forium strepitu excire nititur; quibus minime ad vsum sensuum reuocantibus mentem Deo affixam, abscedit iuuenis; ne, inquit, è cœtu beatorum illum dimoueret, vbi de vultu angelis simili coniciebat illum diuersari; duas alteras post horas redit, Patrem valide pulsât, & succutit, vt tandem reciperet sese, qui ægre sibi persuadens horas duas fluxisse; vbi etiam quatuor cognouit, repente versus palatium contendit. Verum domo vix pedem emiserat, cum eadem illa impressione actus, quæ horas quatuor in momenta illi coëgerat, & extra se in Dio habitans, corpore nihilo secius vagabatur, sed vectoris animi experte cœlosque interim peruadentis. Errauit diu Goa omni variis vicorum ambagibus, sursum, deorsum & gradu tam concito vt eum robustus adolescens vix consequeretur, dum appetentius tenebris, sibi tandem, & sensibus redditus, animaduertit seram fore Proregis affatus poscere, & fili mi Andra! inquit, fiet aliàs quod hodie nequit: Domum alacres repetamus, diem hunc Deus sibi vindicauit. Sed his alia ite amoris illicia virum sanctū in Deum longe potentius rapuere, quibus humo auulsum cum animo corpus, multas horas pendebat in aëre circumfulsum splendore flāmeo, & oris specie qua vero propior Seraphini vultum nulla exprimeret: testes prodigij complures, iidemque spectatores, alij dum illum rimis storearum, quæ cubiculi eius erant parietes, explorant, deprehendunt cubito à terra subuectum, radianti facie, & scintillantibus oculis; quod Manapare in ora piscariæ sapius contigit Thomæ Fernando spectare; aliis per syluas dum eum requirunt, cum iis se abderet precaturus, sublimis in aëre cernitur; quidam in porru Teuanapatano, & Goæ in hortudo, obseruarunt primo immobilem, fixoque in cœlum aspectu; dehinc humo sursum paulatim attolli: alias, Meliapore præsertim & Malacæ, multi ad aram operantem, maximè ad Sacrificium, vel eius esum cum veniret, videre abstractum à sensibus in altum sustolli. Demum quidam inter colloquendum cum eo de diuinis, obstupere coram sursum efferri, animo corpus cœlum versus trahente: nam illa Goæ olim cele-

brata, nunc omnibus nota sunt, cum illic populo sacram diuideret hostiam haud parcius ipsemet particeps gratiae quam eius dispensator; praeter morem enim de genibus ex reuerentia, vitae panem distribuens, illius amore quem tractabat praemanibus inflammabatur eo usque, ut extra se fieret, flexisque ut erat genibus, abstraheretur palmis à terra tribus, suspensusque hoc modo in vacuo diuinam ut ceperat Eucharistiam partiebatur in populum. Quibus vero tunc, & quantis perfrueretur delitiis, nihil attinet dicere, vel coniciendum proponere: nulli dubium est, si qua in terris, caeli felicitas, hanc esse omnino, profusa afflatu caritatis à seipso abstractum, in Deum transfundi, illoque sorberi penitus bonorum Oceano, quibus ad satietatem ebrius, ne sui quidem meminerit; tunc demum quæuis longinquitas temporis punctum est; tunc orbis vniuersus, ad maiestatem, & amplitudinem praesentis in Deo spectaculi euanescebat; cibi, somni, quietis, aliarumque vicissitudinum non percipitur strepitus; sine sensu corpus, velut anima peregre agente; sine usu ac motu sensus; sine ministerio naturae debito, inferiores animae facultates. Quorum omnium exemplum, & expressa imago Xauerius; insuperque illius admirabilis inter quæuis aduersa lætitiæ, ac securitatis quam mortem si alibi usquam fomidabili schemate inter naufragia proxima obiectantem sese, spectauit oculis non modo irretortis, sed etiam lætis, & exuberantem caritatis intimæ voluptatem dulci lacrimarum profusione loquentibus; quam sereni erga Deum amoris, fiduciam sapius expertus, de enauigato Zeilani sinu Malacam inter & caput Comorinum, Romam ad Socios, peculiariter sic scribit. [Ego in illa horribili tempestate, obuersante licet ob oculos morte, ea gaudebam animi voluptate, cuius eo defunctus periculo, parem nunquam probaui. Pudet me hominum qui, viuunt nequissimum, tam prope tunc à morte disunctum, mei non satis capacem gaudij, tanta perfulum copia dulcium lacrimarum] Mauro quoque in insula, vitam trahentem inter vitæ discrimina ærumnosam, idem amor liquabat in fletus ita continuos, ut si durasset illic diutius de perdendis oculis periclitaretur. Erant eæ denique voluptates quibus illum diuina implebat caritas, ut humanum supergressas modum, optaret inhiberi, ac minui, quod se illis fruendis sentiret imparem. Hinc illæ sub aperta nocte inambulantibus in hortulo Goani Collegij, duas inter ædiculas sancto Hieronymo, & S. Antonio sacras, audita voces *satis est Domine, satis est*, cum simul vestem, excedenti vitalia æstui laxaret.

56

Assiduas
orandi.

Nolim tamen post lectos de immensis Xauerij laboribus tres libros, quæ iis subiicio lecturum, apud se fingere nihil ei fuisse residuum temporis ad orandum, & agendi fatigatione dies illi tam solidè conditos, ut praeter minutias otij luccisui precatationi nihil daret; scribit quidem ex ora Piscaria, vel solos pueros quibus Christiana tradebat rudimenta, nullam sibi ad cibum, ad quietem ad pensum diuini officij partem horæ vacuum reliquisse. Ex Iaponia pariter, à primo diluculo ad noctem, non licuisse ab

docen